





V<sub>1</sub> 54-95

V. a 56-97 pag 57<sup>a</sup>-59<sup>a</sup>  
B 5 Vol. II.





DE

67. 15

# DISCIPLINA SCHOLASTICA

CONTINUATIONIS PRIMÆ PARTICULA PRIMA

QUA

## EXAMEN PUBLICUM STEPHA- NEI AUTUMNALE

INDICIT

CHRIST. GODOFREDUS STRUENSEE, R.



---

HALBERSTADII,

EX OFFICINA DELIANA MDCCLXIV.





**S**ex anni sunt, cum programmate, quo primum meum actum oratorium indicebam, de *omni disciplina scholastica* paucis disse-  
rui. Ostendebam eo tempore, velle me hanc quæstionem, gravissimam certe, atque ad scholarum salutem maxime pertinentem programmatibus deinceps edendis diligentius tractare, atque tum de his, qui ad disciplinam scholasticam moderandam idonei viderentur, tum de his, qui ea essent coercendi, tum de ejus ratione atque indole plenius atque copiosius agere. Non fui promissi immemor: sed intervenientibus, vel temporibus, vel causis, quæ scribendis programmatibus aliud argumentum subjicerent, factum est, ut ante hoc tempus promisso satisfacere non potuerim. Nunc, cum *examen autumnale publicum*, quod *inferiores* scholæ nostræ ordines subibunt, scriptionem desideret: datam fidem eo magis putavi liberandam, quod, scholarum salutem sapienti disciplina præsertim contineri, multis rebus magis atque magis perspexisse videor. Quemadmodum enim ob eam maxime causam ludi literarii instituti sunt, ut pueri ad officia omnia conformentur; in qua re disciplina scholastica posita est: sic experientia docet, collapsa scholastica disciplina ipsas scholas collabi, ut vere dictum videatur: scholam non dissolutam raro desolatam esse; dissolutam autem non desolatam esse non posse. Ex quo illud efficitur, esse non modo his, quorum interest scholas recte administrari, sed doctoribus earum præsertim de scholastica disciplina diligentissime cogitandum quærendumque; quive vel ad faciendam, vel ad confirmandam temperandamve eam aliquid adferant, eos ad scholarum salutem aliquid attulisse videri; nec posse facile graviolem in programmatibus scholasticis quæstionem tractari.

Hoc



Hoc autem tempore, quantum per pagellarum angustias fieri poterit, quærendi initium facturus sum: *qualem eum esse oporteat, qui fidei suæ commissos in officio continere, scholasticamque disciplinam rite procurare posse videatur.* Quæ quæstio non ita supervacanea est, aut levis, quemadmodum aliquibus fortasse, quibus scholastica re nihil vilius, nihil humilior est, forte videbitur. His certe, qui de his rebus judicare possunt, mecum conveniet; actum esse de scholastica disciplina, si, qui ad formandos pueros adhibentur, non sunt ab omnibus rebus satis parati, atque instructi, ut flectere eos atque moderari valeant; cum, si illi impares sunt, nihil ad continendos eos sit suffecturum. Quantumvis enim saluberrimæ leges rogatæ sint; quamvis sapientissime inculcentur; quamquam scholarum curatores suo officio diligentissime fungantur; docentibusque omniratione sublevatis auctoritatem apud discipulos conciliare serio & studiose contendant; tamen, nisi per se disciplinæ vigorem conservare poterunt, frustra labor omnis infumetur. Contra, cum hi, qui juventuti præficiuntur, satis habent gravitatis, viriumque, ut possint suos moderari & regere: scholastica disciplina vigere poterit, atque florere, i. e. pueri ad optima quævis institui; etiamsi leges nullæ rogatæ sint, inspectores nulli, ceteraque præsidia desint omnia, quibus scholasticam disciplinam niti vulgo arbitrantur. Ad quam rem non satis attendi videtur ab his, quorum curæ pædagogorum delectus commissus est: qui non raro, quem ad cetera munia ineptum esse vident, eum ut regendis pueris præfici possit, satis idoneum putant; & de scientia atque doctrina, sufficienter ad instituendum fortassis quærunt, de moderandorum morum facultate autem, quæ caput rei est, ne quidem cogitant.

Sed ad rem veniamus, videamusque, qualem eum esse oporteat a quo puerorum mentes moresque rite formari queant. *Duplicis generis* sunt, quibus bonum atque utilem pædagogum præditum esse oportet. *Unum genus* eorum a fonte omnis boni per naturam imperfitur: *alterum* ex ejus coelestibus beneficiis per Christum partis atque tributis redundat. Illorum rursus duo genera sunt, quorum unum in corporibus, alterum in mente atque animo cernitur. Utroque sic





opus est, ut qui alterutro careat, me quidem iudice, officio suo in hac parte satisfacere non posse videatur. Ordiamur de corporis bonis.

In his ante omnia *firmam valetudinem requiro*. Non mirabor, si erunt, quibus mirum videatur, postulari a me, ut qui pueris regendis præficiuntur integra valetudine sint: cum pauci reperiantur qui ad omnia scholastica munia rite obeunda eam requiri putent; et si res ipsa clamet, nullam officii publici partem, omniumque minime puerorum institutionem, tanti laboris rem, sine ea rite administrari posse, adpareatque, vix esse quidquam tam inhumanum, ne dicam stultum; quam vel ægrum hominem infirmisque viribus, in maximos molestissimosque, quibus impar est, labores detrudere, vel, si laboris magnitudine attritæ, fractæque vires sunt, a statione, quam tueri amplius non potest, non quamprimum avocare. Qui paulo curatius rem considerabunt, ea ad æquabilem & salutarem disciplinam præfertim opus esse facile intelligent. Vix enim fieri potest, quin is, qui ægro corpore est, in puerorum moderatione ad alterutrum ex duobus extremis vergat. Aut enim ad peccata puerorum connivebit, nec inquirendum in delicta, aut animadvertendum putabit, ne dolor atque indignatio, quæ in ægro corpore gravior vehementiorque esse solet, imbecillum atque adfectum corpus magis adfligat: aut, quod in ægris tantum non omnibus videmus, tristior erit atque morosior. Quorum utrumque in disciplina æque perniciosum est. Ubi enim pueri delicta negligi sentient: ipsa impunitate invitati procaciores atque petulantiores in peccando erunt, omnisque disciplina scholastica prorogus dilabatur. Rursus cum infirmum & morbosum corpus pædagogum morosiores & difficiliorem reddet, nihilo levius damnum accipietur. Ipsa enim puerorum alacritas hilaritasque, huic ætati singulari Dei beneficio tributa quam recedentes, imo succedentes anni frustra requirunt, tristem, atque morbosum corporis molestia fractum & exasperatum præceptorem interdum offendet; a quo levissime peccata (quis enim ignorat, quam facile qui affecto corpore sunt minimis rebus gravissime sauciantur, vehementissimeque permoveantur) atrocissimis flagitiis adfinia, imo paria esse iudicabuntur; & quæ vultu, aut blandiori, ad summum severiori, verbo corrigi





rigi poterant, acerbo virgarum atque fustium supplicio vindicantur. Quo fiet, ut animi pueriles nimia atque intempestiva acerbitate exulcerati aut plane intractabiles reddantur, obstinati que ad peccandum in pessima ruant; aut alacritate omni extincta opprimantur, obtundantur, itaque abjiciantur, ut per omnem ætatem sæpe se erigere nequeant, habitumque mentis servis, quam ingenuis convenientiorem, qui ingeniorum pestis est, exuere. Faciet eadem tristitia atque morositas, ut literarum studia, quæ pueris per se satis ingrata atque molesta sunt, molestiora atque acerbiora fiant. Quam enim poterunt ex literis voluptatem capere, cum præceptorem, quod per morbum non fieri nequit, agre & cum taedio in iis versari intelligent? cum quovis momento, si forte hærent aut impingunt, a stomachante asperere monentur & reprehenduntur? Non oportet, quem in præceptore vident, corporis languorem animis languorem adferre? Ex quibus omnibus ad tuendam disciplinam scholasticam, *firma atque bona vereturidine opus esse* adparet.

*Secundo recte præcipere illi videntur, qui cavendum putant, ne, quibus juvenus moderanda traditur, insigni vitio deformitateque corporis laborent.* Est enim fere insitum depravata hominum natura, quæ sensibus magis, quam par erat, ducitur, ut eos, in quibus corporis notabilem nævum deprehendunt, despiciant, rideantque. Quod in animorum vitiis fecus sit. Quis enim avarum, nisi prodigiosa plane avaritia sit, despiciatui habet, aut irridet? Crudelem timent, non ludificantur. Atque sic in reliquis animorum vitiis ferè comparatum est, ut a paucis animadvertantur, animadverſa autem, quem contentum parere debebant, non adferant. Contra in corporum incommodis atque damnis, etiamsi non nostra culpa acciderint, nec, quominus boni atque honesti esse possimus, & bene de aliis mereri, impediunt, ne quid vel gratiæ, vel auctoritati detrahant, vix caveri potest. Quæ causa fuisse videtur, quare inter judæos a Deo lege sancitum fuerit, ut qui sacerdotes sacra facere, & sacerdotio fungi vellent, corporis vitio carerent; & prisca Christiana ecclesia eos, qui mutilato corpore essent, nisi forte propter religionis professionem ita multati fuissent, ut ipso vitio corporis venerabiliores fierent,





facris muneribus arcuerit. Quod si autem in adultis, in quibus ratio valere debet, usu venire solet, saltem metuendum est, ne minoris eum faciant, quem corporis vitio laborare sentiunt: quanto diligentius providendum erit, ne pueris, in quibus rationis vis infirmior est, sensusque dominantur, tales præficiantur, quorum in corporibus aliqua deformitas inest, quæ reverentiam obsequiumque debitum minuat, impediatque. Qua ex re duo incommoda necessario existant. Unum, ut pueri ab eo, quem despiciunt, difficiliter flectantur, reganturque, alterum, ut præceptor contemptum sui ulturus sit, quod dici non potest, quantum in se mali habeat. Nec enim facile quisquam reperietur, qui se propter corporis vitium, etsi omnium minime ejusmodi objecto moveri deberet, parvi fieri atque contemni æquo animo patiat. Quem animi motum nisi præceptores oppriment, sed dolori indulgentes puerilem levitatem, imo procaciam, pœnis a se reprimendam putabunt: vix fieri potest, ut modum servent, suspitioneque careant, eos ira commotos ad puniendum accedere, quod in disciplina scholastica omni modo fugiendum esse, gravissimi viri præceperunt, & ipsa ratio unicuique persuadet. Contra cum illi, quibus pueri moderandi sunt, formæ etiam præstantia & dignitate commendantur, non leve habebunt ad flectendos eos adjumentum: quippe quæ vel amorem commovebit, quo adducti monentibus lubenter parebunt; vel, ne provocare justam indignationem audeant, verecundiam, imo justum metum imprimet.

Adde *tertium* præceptum, quod sine gravissimo detrimento negligi nequit, *Ut, a quibus pueri regendi sunt, integris sensibus, visus maxime & auditu, valeant.* Dicitur non potest, quam hoc sit necessarium. Profecto si res ipsa non doceret: experientia, quantum momentum in eo insit, posset persuadere. Quam multi præclari viri possent a me commemorari, qui, cum melioribus annis, quamdiu integri sensus erant, vel toti scholæ vel suo ordini gravissime & cum laude & fructu præfuisse, postquam seu senectute, seu morbo visus auditusve hebescere cœperat, non modo ordinem atque modestiam in suis ludis retinere non potuerunt, sed etiam his amissis florentissima instituta dissolvi atque concidere non sine mœrore viderunt. Ex quo illud recte





recte colligi posse videtur: cum gravissimi viri tanto usu præditi, & qui in possessione auctoritatis erant, quibusque ipsa senectus & venerandi cani auctoritatem adferre debebant, propterea quod sensuum vigor imminueretur, moderari suos non potuerint; eos, quibus hæc omnia simul cum sensuum integritate desint, multo id minus præstyturos esse. Et certe nisi tantum valebit oculis auribusque præceptor, ut discentes levissimos suos motus ab eo animadverti, lenissimosque sibilos, susurrosque, & quemvis strepitum notari credant; procacior atque petulantior ætas impunitatis spe proposita extra oleas vagabitur, & ab officio defecet. Errores etiam, in quos boni præceptores, quorum sensus hebetiores sunt, identidem incident, ut derideantur, efficiunt, quo scholasticam disciplinam omnem everti necesse est. Alia incommoda, quæ non possunt non inde sequi, jam prætermittam.

Atque hæc habui, quæ de corporis valetudinisque bonis, in quibus ad disciplinam scholasticam aliquid subsidii est, hoc tempore proferrem. Habebam in animo, etiam de animi virtutibus atque ornamentis, quæ ad eam rem requiruntur, disserere: sed temporis, paginarumque angustiis prohibeor. Vellem modo, ut paucula, quæ scripti, & quæ vera esse, nemo qui ea secum expendere volet, non intelliget, id efficerent, ut, cum ad salutem non modo puerorum, sed civitatis cujusvis publicam, puerilem ætatem recte tractari, atque formari, plurimum intersit; hi, quorum est, de moderatoribus atque magistris ludis literariis providere, neminem, cui a natura hæc subsidia negata sint, legerent; aut si vel senectute vel morbo eripiantur; ad alias res bonorum virorum opera uterentur potius, quam ad eam, cui non sufficiunt amplius, & ex qua, nisi recte administretur maxima damna certissime redundant: illi autem, qui formandæ juventuti operam suam addicere cupiunt, ubi se ab his adjumentis imparatos esse sentiunt, non modo id munus non peterent, sed oblatum etiam repudiarent, susceptumque, amissis illis, abdicarent, cum nec ipsis nec pueris alio modo consuli posse videatur.

Supereft, ut *Schola nostræ Reverendissimos Patronos*, ceterosque, quos ei favere grata mente sentimus, maxime autem *parentes atque*  
*necessa-*





*necessarios* nostrorum, meo & jucundissimorum collegarum nomine submitte & studiose rogem, velint pro sua humanitate, & in nos, ludu nque nostrum studio, imo in suos amore, *quatuor inferiorum classum examini publico* interesse, puerorumque diligentiam suo iudicio & benevolentiae testificatione, qua, ut spero, non proflus indigni, reperientur, incendere. Examini autem, superiorum consensu, *matutina ab octava hora dierum jovis & veneris*, qui erunt IV. & III. ante nonas Octobr. praestituta sunt: sic ut jovis dies *trium infimorum*, veneris autem *secundi* ordinis profectibus explorandis sit destinatus: in quo nos morem receptum retinebimus, ut ex his, quae proximo anno tractata sunt, ponatur aliquid ab auditoribus, de quo discentes sint interrogandi.

*Veneris* etiam die egregius adolescentulus, *Andreas Fridericus Alterleben*, Halberstadiensis, ultimum scholae nostrae vale dicit, orationem latinam *de animi habitu, quo theologum in academiam abire oportet*, habiturus: amore singulari, quo eum omnes sumus complexi, dignissimus. Raras enim ingenii dotes laudabili atque assidua industria sic excoluit, ut pauci a literis ita parati ad altiora abeant. His adjunxit singularem probitatem, erga nos pietatem, erga condiscipulos humanitatem, & amorem, & in excellentibus ingenii facultatibus (quae in adolescentulis, qui natura solent arrogantiores esse, raro invenitur) *singularem modestiam*. Ex quibus omnibus cum magnam laetitiam cepimus, tum praesertim ideo laetamur, quod eum etiam in academia sibi similem futurum (utinam non essent ex nostratibus, qui postquam hinc abierunt, sui dissimiles esse coeperunt) speramus, imo confidimus. Halberstadii ipsis cal. Octobr. MDCCLXIV.





8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



*noch nicht verbunden*









67. 15

DE  
**DISCIPLINA  
SCHOLASTICA**

CONTINUATIONIS PRIMÆ PARTICULA PRIMA  
QUA  
**EXAMEN PUBLICUM STEPHA-  
NEI AUTUMNALE**

INDICIT  
**CHRIST. GODOFREDUS STRUENSEE, R.**



---

**HALBERSTADII,**  
EX OFFICINA DELIANA MDCCLXIV.

